

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2024-2025
À rendre pour le mardi 1^{er} octobre 2024 (casier au DSA)

Version latine n°1 : un discours plein de bonnes intentions

Micipsa, roi de Numidie, n'éprouve que défiance à l'égard de son ambitieux neveu, Jugurtha. Il l'envoie au siège de Numance, en Espagne, aux côtés des Romains, espérant que le jeune homme y trouve la mort. Peine perdue : celui-ci revient auréolé de gloire et muni d'une lettre de recommandation signée de Scipion Émilien.

Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

[Igitur rex, ubi ea quae fama acceperat ex litteris imperatoris ita esse cognouit, cum uirtute tum gratia uiri permotus, flexit animum suum et Iugurtham beneficiis uincere aggressus est, statimque eum adoptauit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse, paucos post annos morbo atque aetate confectus, cum sibi finem uitae adesse intellexeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis dicitur huiusce modi uerba cum Iugurtha habuisse :

« Paruom ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore ; neque ea res falsum me habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, nouissime rediens Numantia meque regnumque meum gloria honorauisti, tuaque uirtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti. In Hispania nomen familiae renouatum est. Postremo, quod difficillimum inter mortalis est, gloria inuidiam uicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem uitae facit, per hanc dexteram, per regni fidem moneo obtestorque te uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, uerum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas : officio et fide pariuntur.] Quis autem amiciores quam frater fratri ? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris ? Equidem ego uobis regnum trado firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum. Nam concordia paruae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eueniat prouidere decet. Nam in omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere uidetur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, obseruate talem hunc uirum, imitamini uirtutem, et enitimini ne ego meliores liberos sumpsisse uidear quam genuisse. »

Salluste